



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XIV. Ioannis Papae VIII. Ad Episcopos Provinciae Bitvicensis. Vt
Frotario tamquam metropolitano suo deinceps obedient.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

petenti ipsum præfatum archiepiscopum excolatis: & ille vobis, tamquam pro vobis rationem Domino redditurus, modeste præesse studens, vt dilectos filios amplectatur. Porro sciatis, quia sic ista non modica interueniente necessitate barbara modo concedimus, vt tali necessitate remota, remoueatur etiam id, quod necessitas imperat. Data v. Kalendas Nouembbris, indictione decima.

EPISTOLA XIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EPISCOPOS PROVINCIAE BITVRICENSIS.

Vt Frotario tamquam metropolitano suo
deinceps obediunt.

*Ioannes reverentissimis & sanctissimis fratribus nostris episcopis
per Bituricensem prouinciam constitutis.*

QVIA Burdigalensem vrbem, sed & totam pene proximam quorumdam vestrum literis, sed & Leonis apostolicæ sedis apocrisiarii expressa relatione didicimus diuersis cladibus, sed præcipue incursis Nortmannorum deletam, & in solitudinem partim gladiis, partimque captiuitate deductam, necessaria rerum, vt cum sancto papa Gelasio decessore nostro dolentes gementesque fateamur, dispositione constringimur, & apostolicæ sedis moderamine conuenimur, sic Canonum paternorum decreta librare, & retro præsulum decessorumque nostorum præcepta metiri, vt quæ præsentium necessitas temporum pro instaurandis ecclesiis relaxanda deposita, adhibita consideratione diligent, quantum potest fieri, temperemus. Ecce enim, ne de ciuitate ad ciuitatem episcopi transmigrent, sancti Canones prouide sanciunt. Sed si huiusmodi sanctiones sine villa discretione vel dispensatione ducimus obseruandas, nullam compassionem fratribus exhibemus, quos gentilium gladios passos causa fidei Christianæ seruandæ videmus egentes, angustiatos, afflictos, hac illaque palantes incedere: præsertim cum nonnulli eorum ita sint Dei gratia illustrati, vt non solum scientia, sed & moribus; non solum verbo, sed & exemplo plurimos valeant erudire. De quorum numero quia Frotarius Burdigalensis dudum antistes, vt testatur vestra fraterni-

tas , extat ; necessario duximus eumdem virum alii ecclæsiae præponendum & incardinandum, Bituricensi vide-
licet, quæ & vacans esse nobis denuntiata est , & tanti viri
digna regimine : ne per minus idoneum rectorum salubre
saluandarum animarum desit ei præsidium, & nos e contra
ingentis culpæ inuoluamur annexu , si tanto vrgente dis-
crimine, tantæ minus consulamus ecclesiae , propugnato-
ri hanc probabili minime committentes. Prioribus itaque
manentibus regulis inconuulsis, quæ vbi nec rerum , nec
temporum vrget necessitas , iure conuenit obseruari, va-
cante sede , Frotarium fratrem & coepiscopum no-
strum in sede Bituricensi præficiendum ordinauimus fa-
cerdotem : ita vt in ea incardinatus, & quodammodo au-
toritatis apostolica priuilegio radicatus,cetera metropo-
litana Bituricensis ecclesiae ac dioceſeos iura tamquam
Deo contemplante obtineat , dispensem & ordinet, omni
posthac querimonia inuidorum prorsus ablata. Cui vos
tamquam proprio metropolitano conuenit obedire, &
competentem exhibere, secundum pristinum morem, re-
uerentiam & honorem. Sane latére vos nolumus , sic nos
ista interueniente non modica barbarica necessitate nunc
concedere, vt tali necessitate remota, consuetudinarie
vlerius non requiratur, quod remoueatur etiam illud ,
quod necessitas imperaret. Optamus sanctam fraternita-
tem vestram in Christo nunc & semper valere. Data v.
Kalendas Nouembris , indictione decima.

E P I S T O L A XV.

I O A N N I S P A P Æ VIII.

A D E P I S C O P V M C A R N O T E N S E M.

Pro Madelgero qui Odelricum occiderat.

*Ioannes episcopus reuerentissimo Gisliberto episcopo sanctæ
Carnotensis ecclesiae.*

DILECTIONIS vestræ reuerentiam spiritalibus pol-
lere virtutibus procul dubio arbitrantes, his apo-
stolatus nostri literis conuenire , ac pro præsente viro
Madelgero , qui suadente aduersario quemdam homi-
nem Odelricum nomine gladio peremit , vnde diuina
inspiratione compunctus ad limina sanctorum aposto-
lorum principum Petri ac Pauli , per longa itinerum

Concil. Tom. 24.

C ij